

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 45. (*Neovidensis* 1806. Nro. 38.)

---

*Ex Campis Elysiis  
Colloquium Politicum  
vita functorum.*

---

Elysium. -- Memm. -- Die Veneris 21. Maji 1806. (Neov. 9. Maji.)

---

Nemo Propheta in patria.

*Experient. c. 1.*

---

Colloquentes umbrae:

*Europa, & Tiresias.*

*Europa.* **M**agne Propheta Tiresia! supplex ad te venio, ut futuram meam sortem mihi man festes.

*Tiresias.* Quis es?, quod tibi nomen?

*Europa.* Europam me dicunt.

*Tiresias.* Itaque Dea es, quæ pulcherrimæ orbis parti nomen tribuisti. Quantum intelligo, ibi omnia adeo perturbata sunt, ut ipsi quoque Propheætæ nihil inde vaticinari possint. Incertus, & inquietus præsentium status, atque violata futurorum expectatio plerumque produci hamolators. Ego tanto jam tempore absum a mundo, ut noderno ejus rerum cursui vix me accommodare deam.

*Europa.* Honestissime Tiresia! ingenue



fateri cogor, ab omnibus prophetis, qui hæc ætenuis quovis sæculo floruerunt, parum solatii, & multo minus veritatis esse annunciatum; At in te longe majorem colloco fiduciam, persvasissimumque habeo, me a te in hac temporum acerbitate certissima quæque rescituram.

*Tiresias.* Res mira! ex quo nuper in certo scripto cujusdam prophetæ historiam mihi prælegendam curavi, statui, muneri vaticinandi nuntium remittere. Ita autem habet: Maxime rara vaticinatio de extremo die sine dubio est illa, quam Præpositus Jacobus Kohler Berolini publici juris fecit. Ex ventre halecis, A. 1588 in Norvegia inventi, proxime adfuturum interitum mundi prædixit Kohlerus. Halex iste neutiquam quotidianus fuit, nam in ejus ventre repertæ sunt litteræ, quas, an latine fuerint, vel græcæ, nemo mortalium potuit dignoscere. Quid igitur erat naturæ convenientius, quam ex tali insvelo portento indicare, finem mundi modicis spatiis distare.

*Europa.* Fortasse Kohlerus hac vaticinatione id tantum intendit, ut fidem Prophetarum de extremo die tanta affirmantium portentoso halecis oraculo infirmet.

*Tiresias.* Id ego quidem pro ejus honore fuisse creditum, lubens concesserim; at mihi fixum est, nullum exercere amplius augurium, malo tantum observare decurrentia in mundo negotia. Quapropter expone breviter, quid ibidem agatur.

*Europa.* Factum puta. Audiveris jam manifestum Regis Angliæ adversus Borussiam. Nunc tibi diversa acta ad eandem rem pertinentia commemorabo :

*Scriptum a D. Hardenberg Borussico Status Ministro, D. Jaksonio Legato Anglico in Aula Berolinensi 26. Januarii traditum.*

Mi Domine, propero implere promissum, quod 8. hujus mensis Lordio Harrovby feci, ut nimirum, quamprimum de propositis questionibus ultima intercesserit decisio, significem novas dispositiones ratione securitatis pro Germania septentrionali, nec non obligationes, a Rege assumptas præstandi securitatem copiis Britannicis in hac parte continentis existentibus.

Ex cursore Monachio adveniente intellexit Sua Majestas terminatas esse dispositiones, ad quas illa per præsentem rerum statum determinata est ad tractandum cum Gallia, ut ab ista vicinia & nominatim ab Electoratu Hanoverano calamitates novi belli avertantur, iisdemque tranquillitas procuretur. Cum autem in hoc tractatu conclusum sit, ut custodia hujus provinciæ solis Borussicis copiis concedatur, utque ejus administrationem, usque dum pax Galliam inter, & Angliam coaluerit, Rex retineat, Sua Majestas non potuit moras necere, quin necessaria daret mandata ad occupandam Hanoveram suis legionibus, Excellentissimi Generalis equi-

tatus, Comitis a Schulenburg - Kehnert imperio subjectis, cui Rex eodem tempore administrandam etiam provinciam commisit. Quum Sua Majestas ex animo optet, ut gravitatem motivorum, quibus inducta accepavit has dispositiones, Rex Angliæ, ejusque perspicaces Ministri debite expenderent, injunxit Baroni Jacobi, ut genuinam faceret super hoc negotio Aulæ Londinensi declarationem.

Inutile foret uberius exponere, quam necessarium sit in his rerum adjunctis, ut Anglicæ copiæ, in Germania Septemtrionali commorantes, iterum navibus imponantur, recessus enim extranei militis conditio est, sub qua Gallia promisit, se in Electoratum Hanoveranum non immisurum rursus suas legiones, & quia etiam Rex sub eadem spondit securitatem peregrinæ militiæ. Non dubito, quin Lordius Cathcart a sua Aula acceperit mandatum accelerandi abitum suarum copiarum, quæ jam dudum in hunc finem expectant naves vectorias, illeque omnia adhibet, ut rem perficiat. In omnem tamen casum rogo, ut eidem Præfecto scribatur de hoc negotio, ut mandata, de quibus sermo est, quam ocysime impleat. Edoceatur de præsentium rerum statu, ut omnia, quæ in potestate ejus fuerint, ad maturandum iter adhibeat, seque ordinibus accommodet, qui ob adjuncta temporis, & proximum nostri exercitus adventum nullam patiantur procrastinationem. Meam repe-

titam sinceræ existimationis declarationem benevole accipiat, velim.

Subscriptus:

*Hardenberg.*

*Exemplum litterarum, 17. Martii a Statu Secretario, Foxio, Baroni Jacobi datarum:*

Subsignatus accepit a suo Rege mandatum significandi Baroni Jacobi, ut nuntiet suæ Aulæ, quantopere perculerit Suam Majestatem modus, quo Electoratus Hanoveranus est occupatus. Si Sua Borussica Majestas e re judicavit, ad impediendas gallicas copias, ne in hac parte ita prope accedant ad ejus limites, per se ipsam assumere militarem occupationem hujus Electoratus; Suæ Majestati non apparet necessarium fuisse, ut civilis administratio infelicis hujus provinciæ evertatur, & longe numerosior, adeoque incolis multo onerosior, quam necessitas postulat, exercitus imponatur. Sua Majestas inhæret plena cum fiducia factæ a Sua Majestate Borussica declarationi, præsentem Hanoveræ possessionem temporariam tantum futuram; attamen non potest renunciare juri, desiderium exprimendi, ut hæc declaratio majori adhuc cum solennitate toti Europæ proponatur. Tam honor Aulæ Berolinensis, quam mutuus nexus duorum vinculo sanguinis intime junctorum Principum exigunt genuinam gravissimi hujus negotii explicationem.

Sua Majestas ex parte sua dilucide declarat, ne ulla imposterum superstes sit spes (si

forte Aula Berolinensis talem fovet) se nec consideratione convenientiæ, nec politicis cuiuscunque generis dispositionibus, & multo minus oblatis compensationibus, ac indemnitatibus eo adducendam, ut legitimorum iurium, atque eximiæ fidelitatis suorum Hanoveranorum subditorum oblita, consentiat in alienationem huius Electoratus.

Sua Majestas non fert æquo animo mentionem fieri cessionis Marchionatus Onolsbæcensis, aliarumque suæ Majestatis Borussicæ possessionum in Bavaria, idque propter initam cum Gallia conventionem; Illa quidem sibi non arrogat jus, in has dispositiones se miscendi, neque depromit suum iudicium de ratione, quam opportunam existimavit sua Borussica Majestas commoda suæ coronæ, sui-que populi promovendi. Interim tamen hac occasione palam facit, Suam Majestatem nec qua Regem Magnæ Britannicæ, nec qua Electorem Hanoveranum in dicta conventionem ullam habuisse partem, neque posse de eventu cavere. Quare cessiones, a Sua Borussica Majestate hosti Angliæ Regis factæ, nunquam poterunt in excusationem occupatæ legitimæ hereditatis Suæ Majestatis adduci.

Cæterum sperat Sua Majestas, ut Sua Borussica Majestas, intimum suum animi sensum sequendo, orbi universo demonstraret, se, quasunque demum oblationes extorquerent circumstantiæ, nunquam daturum per-

ficioꝝ exemplum, ut se locupletet cum damno tertii, cujus sensa & modus agendi tam erga suam Majestatem Borussicam, quam eidem subjectos, semper pacificus erat.

Unum adhuc fragmentum. In publicis Londinensibus ephemeridibus legitur, Landammannio Helvetiæ, qui per suos procuratores judicium Regiæ Cancellariæ iteratis vicibus requisivit, ut notabilis summa pecuniæ a nonnullis Civitatibus Helvetiæ tempore belli in ærarium publicum illata hodierno gubernio restituatur, a Regio Generali Advocato 24. Martii esse responsum; Cum Helvetica administratio dissoluta sit, & Rex Angliæ nullam novam Authoritatem recognoscat in vicinia Montis Jura, pecuniæ Helveticæ in ærarium Anglicum elocatae factæ sunt Regis patrimonium, neque est judicium Cancellariæ tribunal, quod posset sententiam ferre, an dictæ pecuniæ futuro Regimini in Helvetia reddendæ sint.

### B I O G R A P H I Æ.

*Europa.* Agenoris Phœnicum Regis filia: Ejus mirabili pulchritudine captus Pater Deorum, se in speciem candidi tauri transformavit. Dum illa per florida rura deambularet, conspexit eundem in medio gregis, atque tantopere adamavit, ut humi procumbenti insideret. Sed vix gratum hoc onus excepit dorso, taurus, illico prosiluit, mare ver-

sus accelerans gradum. Anxius Regis filiae clamor, querelæ, & planctus ejus sociarum compleverant cœlum; At hoc antea adeo mansuetum animal non se sivit retineri, sed in medios maris fluctus ruens, puellam natando transvexit in Cretam. Hic recepta pulcherrimi juvenis forma Jupiter, amplexatus est suam dilectam, ex quo matrimonio celeberrimi legislatores, ac judices Minos, & Rhadamantus ortum habent. Europæ in Creta divini honores exhibiti sunt.

*Tiresias.* Memorabilis, sed oculis captus vates. Ingens erat ejus per omnes gentes nomen, ac gloria, quod Herculi in cunis jacenti, & duos angves comprimenti futuram magnitudinem prædixerit. Apud inferos quoque dono vaticinandi fuit præditus, Ulyssi enim non tantum ostendit tutissimum in Ithacam reditum, sed etiam omnia ejus futura fata fatidice exposuit.

In eadem hac Officina Belnayana sequentes, præter complures alios, venales libri prostant:

Cétsényi Svastics Ignázt Magyarok' Historiája, három rézre metszett képekkel III. T. maj. 8. 1805. 5 fl.

Atala, vagy két Indus' Izerelme a' Luizianai Pusztákon. Kötve 45 r. Posta papirofira 2 fl. Fényes papirofira 4 fl.